M

TITULUS I.

Magia. Vide & Incantatione.

C*Oram Moyſe & Aarone confunduntur magi & malefici in Ægypto*; ſed devoravit virga Aaron virgas eorum : *Quin & ipſi ulceribus percuſſi non coram Moyſe ſtare poſſunt*. Exod. 7. 11. Cap. 9. 11

Magi in Ægypto cum omni ſua arte non poterant producere ſciniphes : ex quo patet, non omnia illis a Deo eſſe permiſſa. Ibid. 8. 18

Inter alias leges judicibus a Deo datas eſt etiam iſta : Maleficos (*ſeu magos*) non patieris vivere. *Ibid.* 22. 18

Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos. *Levit.* 19. 31

Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, &c. ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui. *Ibid.* 20. 6

Et Saul abſtulit magos & ariolos de terra. 1. *Reg.* 28. 3. *ſed mox deinde ab hoſtibus conſtatus, pythoniſſam conſuluit. Vide & v. 9. poſtridie vero ejus diei in peccatis ſuis mortuus, ſe ipſum gladio ſuo interemit*. v. 7. Cap. 31. 4.

Inter alia peccata, propter quæ Iſraelitæ ſub Rege Oſee ab Aſſyriis in captivitatem abducti fuerunt, etiam hoc abducitur: Et divinationibus inſerviebant & auguriis. 4. Reg. 17. 17

Ochoziæ regi, ob conſultum Beelzebub Dei Accaron oraculum, mortem prædicit Elias. 4. Reg. 1. 3.

Manaſſes rex obſervabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus inſerviebat, habebat ſecum magos & incantatores. Idcirco *Nabuchodonoſor ivit contra eum* : & vinctum catenis duxit in Babylonem. 2. *Paral.* 33. 6

Simon magus, poſtquam multos ſuis magiis dementaſſet, tandem credidit, & baptizatus eſt : ſed vana fuit ejus converſio. Actor. 8. 9. *Vide* v. 20

Multi autem ex eis, qui fuerunt curioſa ſectati, contulerunt libros (*magicos*) & combuſſerunt coram omnibus. *Ibid.* 19. 19

TITULUS II.

Magiſterium non ambiendum.

VOs autem nolite vocari Rabbi : unus eſt enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. *Matt.* 23. 8. Nec vocemini magiſtri : quia magiſter veſter unus eſt, Chriſtus. v. 10

Nolite plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium ſumitis. *Jac.* 3. 1

Magnanimitas. Vide Confidentia.

Maledicentia. Vide Detractio.

TITULUS III.

Maledictio.

Maledictio qua Deus maledicit homini.

S*Erpens primo legitur a Deo maledictus fuiſſe*: maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ : ſuper pectus tuum gradieris, &c. *Gen.* 3. 14

Ad pœnam hominis dictum eſt : Maledicta terra in opere tuo : *Ibid. v.* 17. 11. *item ad Cain* Cap. 4. 11. Maledictus eris ſuper terram. *Vide & c.* 5. 29

Maledictus furor eorum, quia pertinax : & indignatio eorum, quia dura : dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael. *Ibid.* 49. 7

Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens : Loquere ad filios Iſrael &c. *Num.* 5. 11. His maledictionibus ſubjacebis (*loquitur de muliere polluta cum altero viro*) Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo ſuo: putreſcere faciat fœmur tuum, & tumens uterus tuus dirumpatur, &c. v. 21

En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem : benedictionem ſi obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, quæ ego hodie præcipio vobis : (*loquitur Iſraelitis Moyſes*) maledictionem, ſi non obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, ſed receſſeritis de via, quam ego nunc oſtendo vobis, & ambulaveritis poſt Deos alienos, quos ignoratis. *Deut.* 11. 26. *Vide* Deut. 21. 23. & Cap. 27. 15. 16. 17. *&c.*

Maledictus homo qui facit ſculptile & conflatile, abominationem Domini & opus manuum artificum, &c. *Ibid.* 27. 15. Maledictus qui non honorat Patrem ſuum & matrem. &c. v. 16

Benedixit (*Joſue*) populo Iſrael. Poſt hæc legit omnia verba benedictionis & maledictionis, & cuncta quæ ſcripta erant in legis volumine, *Joſue* 8. 33. 1. Reg. 17. 43. Deut. 20. 21. 22. Cap. 28. 16, &c.

Excuſſi ſinum meum, & dixi (*ſcilicet Nehemias avaris*) Sic excutiat Deus omnem virum, qui non complevit verbum iſtud, de domo ſua, & de laboribus ſuis : ſic excutiatur, & vacuus fiat. 2. *Eſdr.* 5. 13

Sicut avis ad alia transvolans, & paſſer quo libet vadens : ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam ſuperveniet. *Prov.* 26. 2

Quia per memetipſum juravi, dicit Dominus, quod in ſolitudinem, & in opprobrium, & in deſertum, & in maledictionem erit Boſra : & omnes civitates ejus erunt in ſolitudines ſempiternas. *Jere.* 49. 13

Lamentans Jeremias excidium civitatis Jeruſalem, dixit : Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ. *Toren.* 2. 7

Daniel in oratione ſua dicebat : Stillavit ſuper nos maledictio. (*Nota : maledictio dicitur ſuper peccatores ſtillare, ſed benedictio ſuper juſtos inundare.*) *Dan.* 9. 11. Benedictio illius quaſi fluvius inundavit. *Eccli.* 39. 27

Sacerdotibus malis loquens Dominus per Malachiam Prophetam dixit : Et maledicam benedictionibus veſtris. *Malac.* 2. 2

Ficus, habens folia ſine fructu, maledicta fuit a Domino, & continuo aruit. Matt. 21. 19. Marc. 11. 13.

Diſcedite a me maledicti in ignem æternum. *O Quam terribilis iſta maledictio, contra reprobos proferenda in die judicii! Ibid.* 25. 41

Maledictio qua homo homini maledicit.

P*Rimus inter homines legitur Noe, quod maledixerit Chanaan nepoti ſuo, pro eo quod Cham pater ejus nuditatem ipſius Noe ceteris fratribus nuntiavit, cum magis eam tegere debuiſſet. Gen.* 9. 25

Inter alia verba benedictionis, qua benedixit Iſaac filio ſuo, extant & hæc : Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus. *Ibid.* 27. 29 cap. 12. 3

Principi populi tui non maledices. *Exod.* 22. 28

Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum. *Levit.* 19. 14

Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur, &c. *Levit.* 20. 9. Exod. 21. 17. Prov. 20. 20. Matth. 15. 4. Marc. 7. 10

Balac miſit nuntios ad Balaam, ut veniret & malediceret populo Iſrael dicens : Novi enim quod benedictus ſit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeſſeris. *Num.* 22. 6. *Vide totum* Cap. 22. 23. & 24

Diruta civitate Jericho imprecatus eſt Joſue, dicens : Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. *Joſue* 6. 26.

Sichemitæ inter epulas & pocula maledicebant Abimelech. *Judic.* 9. 27. Cap. 5. 23

Saul volens perſequi Philiſthæos, adjuravit populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar de inimicis meis. 1. *Reg.* 14. 24

Et maledixit Philiſthæus (*Goliath*) David in diis ſuis. 1. *Reg.* 17. 43

Semei procedebat egrediens & maledicebat, mittebatque lapides contra David, & dicebat : Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. 2. *Reg.* 16. 7

Maledictio autem matris eradicat fundamenta. *Eccli.* 3. 11

Eliſeus maledixit pueris illudentibus ei, & dicentibus : Aſcende calve, aſcende. *Et lacerati ſunt quadraginta duo pueri a duobus urſis.* 4. *Reg.* 2. 24

Cum Judas Machabeus obſideret quoddam prædium, illi qui intus erant ... ſupra modum maledicebant, & ſermones neſandos jactabant. 1. *Mach.* 10. 34

Phariſæi maledixerunt cæco nato, per Jeſum illuminato, & dixerunt : Tu diſcipulus illius ſis. *Jo.* 9. 28

Arguebant Judæi Paulum, dicentes : Summum Sacerdotem Dei maledicis? ſed ille excuſavit ſe & dixit : Neſciebam fratres quia princeps eſt Sacerdotum. *Actor.* 23. 4

Maleficia. Vide Incantationes.

TITULUS IV.

Malum & Mali.

Malum dicens bonum, punietur.

VÆ qui dicitis malum bonum, & bonum malum : ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. *Iſa.* 5. 20

In eo quod dicitis : Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent ; aut certe ubi eſt judicii? (*comminatur Dominus ſe maledicturum benedictionibus ſacerdotum niſi reſipiſcant, &c. Malach.* 1. 17

Qui dicunt impio : Juſtus es : maledicent ei populi : & deteſtabuntur eos tribus. Qui arguunt eum, laudabuntur : & ſuper ipſos veniet benedictio. *Prov.* 24. 24

Malum declinandum & bonum faciendum.

NE ſis ſapiens apud temetipſum : time Deum, & recede a malo. *Prov.* 3. 7

Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis : quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, &c. *Iſa.* 1. 16

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, fecerit judicium & juſtitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. *Ezech.* 18. 21

Malorum multitudo.

CUm factum fuit diluvium, octo tantum homines ſalvati ſunt. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam. *Gen.* 6. *per totum.*

Plus fuerunt filii Iſmaelis quam filii Iſaac, & plures filios ſuſcepit Abraham de Cethura, quam de Sara. Ibid. 25. *per totum.*

In quinque civitatibus Sodomorum non erant inventi decem juſti. Ibid. 18. 32

Inter omnes fratres Joſeph non fuerunt niſi duo, Ruben & Judas, qui laboraverunt ipſum liberare, ſed prævaluerunt attamen mali. Ibid. 37. 22. & 26

Sexcenta millia pugnatorum numerati fuerunt, de quibus duo tantum, Caleb & Joſue, intraverunt terram promiſſionis. Num. 11. 21. Cap. 14. v. 30. *&c.*

Moyſes exploratores miſit ad conſiderandum terram promiſſionis, ſed duo tantum erant boni, ſcilicet Joſue & Caleb. Ibid. 14. 6. *Vide & Caput præcedens.*

Plures fuerunt cum Abſalon, regnum patris uſurpare nitente, quam cum David bene & juſte regnante. 2. *Reg.* 15. *per totum.*

Major pars filiorum Iſrael fuit in regno Samariæ, quia decem tribus ubi erant homines multo pejores: minor autem in regno Jeruſalem, quia duæ tantum tribus. 3. *Reg.* 12. *per totum.*

Tantus erat numerus bellatorum regis Syriæ, qui pugnabant contra Iſrael, ut dicebat ipſe rex, pulverem Samariæ non ſufficere pugillis eorum. Ibid. 20. 10

In exercitu Holofernis tantus erat numerus bellatorum, ut cooperuerint faciem terræ, ſicut locuſtæ. *Judith* 2. 11

Omnis populus habitantium in terra Ægypti, & mulieres, quarum ſtabat multitudo grandis, *ſacrificabat diis alienis. Jerem.* 44. 15

Non remanſerunt cum Juda Machabæo niſi octingenti viri, & erant in exercitu Bachidis & Alcimi proditoris 20000. *virorum, & duo millia equitum.* 1. *Mach.* 9. 3

Clamaverunt ergo rurſum omnes dicentes: Non hunc (*dimitte*) ſed Barrabam. *Ergo in maxima multitudine iſta, quæ erat eo tempore paſchali in Jeruſalem, quo tempore paſſus eſt Dominus, non inventus eſt vir, qui ſe opponeret manifeſte morti tam nequiter procuratæ. Joan.* 18. 40

De ſecta hac (*Chriſtianorum*) notum eſt nobis, quia ubique ei contradicatur. *Si quidam Judæi, quos invenit Paulus Romæ in primo adventu ſuo, dixerunt ei. Actor.* 28. 22

Mali opprimentes bonos. Vide Oppreſſio bonorum.

Malorum conſortium vitandum.

BEatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. *Pſalm.* 1

Non ſedi cum concilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Eccleſiam malignantium: & cum impiis non ſedebo. *Ibid.* 25. 4

Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne adquieſcas eis. *Prov.* 1. 10

Vade contra virum ſtultum: & neſcit labia prudentiæ, &c. *Ibid.* 14. 7

Time Dominum, fili mi, & regem: & cum detractoribus non commiſcearis: quoniam repente conſurget perditio eorum: & ruinam utriuſque quis novit? *Ibid.* 24. 21

Qui cum fure participat, odit animam ſuam: adjurantem audit: & non indicat. *Ib.* 29. 24

Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te. *Eccli.* 7. 2.

Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala ſua in te: ipſe enim ſecundum voluntatem ſuam vadit, & ſimul cum ſtultitia illius peries. *Ibid.* 8. 18. *Vide* Gen. 4. 8

Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea, & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam, &c. *Ibid.* 13. 1

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? 2. *Cor.* 6. 14

Si quis veniet ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis. 2. *Joan.* v. 10

Et audivi aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa (*ſcilicet Babylone*) populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis. *Apoc.* 18. 4

Malum non eſt reddendum pro malo.

QUi reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. *Prov.* 17. 13

Ne dicas: Reddam malum (*pro malo*): expecta Dominum, & liberabit te. *Ibid.* 20. 22 *Idem habetur verbatim.* Cap. 24. 29

Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. *Rom.* 12. 14. Nulli malum pro malo reddentes. Ib. v. 17

Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus. 1. *Cor.* 4. 12

Vide-

Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini in invicem, & in omnes. 1. *Theſſ.* 5. 15

In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles: non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes, &c. 1. *Pet.* 3. 8

Malum pœna eſt a Deo.

COngregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. (*Populo Iſrael propter eorum ingratitudinem.*) *Deut.* 32. 23

Quia dereliquerunt Dominum Deum ſuum (*Iſraeliticus populus*) qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, & ſecuti ſunt deos alienos, & adoraverunt eos, & coluerunt eos: idcirco induxit Dominus ſuper eos omne malum hoc. 3. *Reg.* 9. 9

Nonne vidiſti (*ſcilicet Theſbites*) humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſſa, non inducam malum in diebus ejus, ſed in diebus filii ſui inferam malum domui ejus. *Ibid.* 21. 29

Ego dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. *Iſa.* 45. 6

Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam ſuper eos mala, de quibus exire non poterunt: & clamabunt ad me, & non exaudiam eos. *Jer.* 11. 11. Cap. 32. 42. Jonæ 3. 10

Propter quod ſtatuit Dominus Deus noſter.... ut adduceret ... ſuper nos mala magna, quæ non ſunt facta ſub cælo, quemadmodum facta ſunt in Jeruſalem, &c. Ut manducaret homo carnes filii ſui, & carnes filiæ ſuæ. *Baruch* 2. 1. Deut. 28. 55

Si clanget tuba in civitate, & populus non expaveſcat? ſi erit malum in civitate quod Dominus non fecerit? *Amos* 3. 6

Deſcendit malum a Domino in portam Jeruſalem. *Mich.* 1. 12

Dicit Dominus: Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum: unde non auferetis (*ſcilicet Samariæ & Jeruſalem*) colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbi, quoniam tempus peſſimum eſt. *Ibid.* 2. 3.

Malum culpæ ſumme averſatur Deus, multo minus Deum auctorem habet.

MEndacium fugies: inſontem & juſtum non occides: quia averſor impium. *Exod.* 23. 7

Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas. 2. *Paral.* 19. 7

Deus enim illorum odit iniquitatem. *Judith.* 5. 21

Viri cordati audite me, abſit a Deo impietas & ab Omnipotente iniquitas. *Job.* 34. 10

Mane aſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Pſal.* 5. 5. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium, &c. Ib. v. 7

Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem. *Ibid.* 44. 8.

Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota juſtorum placabilia. Abominatio eſt Domino via impii: qui ſequitur juſtitiam, diligitur ab eo. *Prov.* 15. 8

Similiter autem odio ſunt Deo, impius, & impietas ejus. *Sap.* 14. 9

Nemini mandavit (*Deus*) impie agere, & nemini dedit ſpatium peccandi. *Eccli.* 15. 21

Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum. *Oſeæ* 13. 9

Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit. *Rom.* 9. 14

Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? --- Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? 2. *Cor.* 6. 15

Nemo, cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat. *Jacob* 1. 13

Malos Rectores & Prælatos ſeu Præpoſitos permittit Deus ob peccata populi.

QUi regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Job.* 34. 30. 3. Reg. 12. 24

Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, Prophetas & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet. *Iſa.* 29. 10. Ezech. 14. 9

Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. *Oſeæ* 13. 11

Ideo (*quia Chriſtum non receperunt*) mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. 2. *Theſſ.* 2. 10

Jubetque eis obedire.

SUper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt, &c. *Matt.* 23. 2

Servi ſubditi eſtote --- Dominis non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. 1. *Petr.* 2. 18

Malorum etiam miniſtrorum opera utitur Deus.

MUlti dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? *Matt.* 7. 22

Reſpon-

Reſpondit illi Joannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. Jeſus autem ait: Nolite prohibere eum, &c. *Marc.* 9. 37. *Idem verbatim.* Luc. 9. 49

T I T U L U S V.

Manendum eſt nobis in Chriſto.

MAnete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis, &c. *Joan.* 15. 4

Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant. *Rom.* 8. 1. 1. Cor. 4. 15

Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes in uno ſpiritu potati ſumus. 1. *Cor.* 12. 13

Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum in ipſo ambulate, radicati, & ſuperædificati, &c. *Coloſſ.* 2. 6

Et nunc filioli manete in eo: ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus. 1. *Joan.* 2. 28. *Vide & v.* 6

Et qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus, quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis. *Ibid.* 3. 24

In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. *Ibid.* 4. 13

T I T U L U S VI.

Manna.

M*Urmurantibus in Sin Iſraelitis, pluit Dominus coturnices & Man ad ſaturitatem: juſſio Domini de eo colligendo & in monumento reponendo. Exod.* 16

Anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. Erat aut Man quaſi ſemen coriandri coloris bdellii. *Num.* 11. 6

Afflixit te pecunia (*Iſrael*) & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui; ut oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane vivat homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. *Deut.* 8. 3. Joſue 5. 12

Et pluit illis Manna ad manducandum: & panem cæli dedit eis. *Pſal.* 77. 24

Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. *Sap.* 16. 20

Patres noſtri manducaverunt Manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cælo dedit eis manducare. *Joan.* 6. 31. Exod. 16. 14. *Vide &* 1. Cor. 10. 3

T I T U L U S VII.

Manſuetudo. Vide & Patientia in adverſis.

FIli mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas. *Joſue* 7. 19

Reſponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem. *Prov.* 15. 1. 2. Reg. 16. 10. 1. Reg. 25

Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam. *Ibid.* 25. 15

Uſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis. *Eccli.* 1. 29

Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram. *Matt.* 5. 4. Pſal. 36. 11

Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. *Ibid.* 11. 29

Fructus autem Spiritus eſt: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſus hujuſmodi non eſt lex. *Galat.* 5. 22. Cap. 6. 1

Obſecro igitur vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in caritate. *Epheſ.* 4. 1.

Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes invicem, &c. *Coloſſ.* 3. 12

Admone illos, &c. Neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines. *ad Tit.* 3. 1. 2. Tim. 2. 25.

T I T U L U S VIII.

Mare.

Mare creatur.

DIxit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum unum: & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocavit Deus aridam, terram, congregationeſque aquarum appellavit maria. *Gen.* 1. 9

Concluditur ſuis terminis.

TErminum circumdedit aquis, uſque dum finiatur lux & tenebræ. *Job* 26. 10. Gen. 1. 9

Quando ponebat pluviis legem, & viam procellis ſonantibus. *Ibid.* 28. 26

Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. *Prov.* 8. 29.

Cedit filiis Iſrael.

CUmque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in ſiccum: diviſaque eſt aqua. *Exod.* 14. 21

Sedatur verbis Chriſti.

QUid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens, imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. *Matt.* 8. 26

T I T U L U S IX.

Maria Virgo.

Maria Virgo prænuntiata.

INimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus. *Gen.* 3. 15

Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17

In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. *Pſalm.* 18. 6

Myrrha & gutta & caſia a veſtimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. *Ibid.* 44. 10

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus: Deus in medio ejus non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo. *Ibid.* 45. 5

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. *Ibid.* 83. 2

Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei. *Ibid.* 86. 3

Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. *Ibid.* 231. 8

Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus. *Prov.* 31. 10. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Ib. v. 29

Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt ubera tuo vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dixerunt te. Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te. *Cant.* 1. 1. Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum (*tuorum*) & paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum. Ib. v. 7. Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra es, oculi tui columbarum, &c. Ib. v. 14. *Per totum caput.*

Ego flos campi, & lilium convallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios. *Cant.* 21, 2. En Dilectus meus loquitur mihi: ſurge propera amica mea, columba mea, formoſa mea & veni, Jam enim hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit. Ib. v. 10. Surge, amica mea, ſpecioſa mea, & veni. Ib. v. 13. Columba mea in foraminibus petræ: in caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora, &c. Ib. v. 14. *Per totum caput.*

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii? &c. *Ibid.* 3. 6. *Per totum caput.*

Quam pulcra es amica mea, quam pulcra es! Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet. *Cant.* 4. 1. Tota pulcra es amica mea, & macula non eſt in te, &c. Ib. v. 7. Hortus concluſus ſoror mea, ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Ib. v. 12. Fons hortorum: puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano, &c. Ib. v. 15. *Per totum caput.*

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adjuraſti nos? &c. *Cant.* 5. 9. Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? & quæremus eum tecum. Ib. v. 17.

Pulcra es amica mea, ſuavis & decora ſicut Jeruſalem: terribilis ut caſtrorum acies ordinata. *Cant.* 6. 3. Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ, Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicaverunt, Reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulcra ut Luna. electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? &c. Ib. v. 8. *Per totum caput.*

Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram: ego in altiſſimis habitavi, & thronus meus in columna nubis, Gyrum cæli circuivi ſola, & profundum abyſſi penetravi, & in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra ſteti: & in omni populo, & in omni gente primatum habui. Et omnium excellentium & humilium corda virtute calcavi: & in his omnibus requiem quæſivi, & in hereditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Jacob inhabita, & in Iſrael hereditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi. Et ſic in Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea, &c. *Eccli.* 24. 6. *Per totum.*

Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. *Iſa.* 7. 14

Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. Et requeſcet ſuper eum ſpiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis. *Ibid.* 11. 1

Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti a facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus. *Ibid.* 19. 1

Rorate cæli deſuper & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem: & juſtitia oriatur ſimul: ego Dominus creavi eum. *Ibid.* 45. 8

Uſquequo deliciis diſſolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum ſuper terram: Femina circumdabit virum. *Jerem.* 31. 22

Maria Virgo præfigurata per Arcam Noe.

FAc tibi Arcam de lignis lævigatis: manſiunculas in Arca facies, & bitumine linies intrinſecus & extrinſecus. *Gen.* 6. 14.

Per rubum Moyſi.

APparuit ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi: & videbat quod Rubus arderet, & non combureretur. *Exod.* 3. 2

Per Arcam fœderis.

ARcam de lignis Setim compingite, cujus longitudo habeat duos & ſemis cubitos: latitudo, cubitum & dimidium: altitudo, cubitum ſimiliter ac ſemiſſem. *Ibid.* 25. 10

Per virgam Aaronis.

SEquenti die regreſſus (*Moyſes*) invenit germinaſſe virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt. *Num.* 17. 8

Per vellus Gedeonis.

DIxitque Gedeon ad Dominum: Si ſalvum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam ſicut locutus es, liberabis Iſrael. Factumque eſt ita. Et de nocte conſurgens expreſſo vellere, concham rore implevit. Dixitque rurſus ad Deum: Ne iraſcatur furor tuus contra me ſi adhuc ſemel tentavero, ſignum quærens in vellere. Oro, ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa, ut poſtulaverat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra. *Judic.* 6. 36

Per Thronum Salomonis.

FEcit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem: & veſtivit eum auro fulvo nimis. 3. *Reg.* 10. 18

Per Templum Salomonis.

Per totum Caput. 2. *Paral.* 2. *Idem* Cap. 3. & 4

Per portam orientalem clauſam.

ET dixit Dominus ad me: Porta hæc (*ſanctuarii exterioris reſpicientis ad Orientem*) clauſa erit: non aperietur, & vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa principi. Princeps ipſe ſedebit in ea. *Ezech.* 44. 2.

Per montem.

Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus. *Dan.* 2. 34.

Maria Virgo præfigurata per præclaras mulieres.

EN Rebecca coram te eſt, tolle eam, & proficiſcere, & ſit uxor filii Domini tui, ſicut locutus eſt Dominus. *Gen.* 24. 51

Per Rachel.

Laban ait Racheli: Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oves varias: &c. *Gen.* 30. 32

Per Abigail.

CUm autem vidiſſet Abigail David, feſtinavit, & deſcendit de aſino, & procidit coram David ſuper faciem ſuam, & adoravit ſuper terram, & cecidit ad pedes ejus. 1. *Reg.* 25. 23

Per Abiſag.

DIxerunt ergo ei (*David*) ſervi ſui: Quæramus Domino noſtro Regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram Rege & foveat eum, dormiatque in ſinu ſuo, &c. 3. *Reg.* 1. 2. Quæſierunt igitur adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſrael, & invenerunt Abiſag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulcra nimis, dormiebatque cum rege, & miniſtrabat ei, Rex vero non cognovit eam. Ib. v. 3.

Per Judith.

DIxit Judith (*ad eos qui veniebant ad eam cum abſcidiſſet Holoferni caput*) Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe: & in me ancilla ſua adimplevit miſericordiam ſuam, quam promiſit domui Iſrael: & interfecit in manu mea hoſtem populi ſui in hac nocte, &c. *Judith* 13. 17

Per Eſther.

ESther quoque inter ceteras puellas, ei (*Regi Aſſuero*) tradita eſt, ut ſervaretur in numero feminarum. Quæ placuit ei, & invenit gratiam in conſpectu illius. *Eſther* 2. 8

Si inveni gratiam in oculis tuis o Rex (*Aſſuere*) & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro. *Ibid.* 7. 3. *&* Cap. 8. *per totum.*

Maria figurate & per quamdam accommodationem appellatur ſtella ex Jacob.

ORietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17

Sol vocatur.

IN ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. *Pſalm.* 18. 6

Regina vocatur.

MYrrha & gutta & caſia a veſtimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Aſtitit Regina a dextris tuis, in veſtitu deaurato circumdata varietate. *Ibid.* 44. 9

Tabernaculum Altiſſimi.

FLuminis impetus lætificat civitatem Dei: ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus. *Ibid.* 45. 5

Vocatur terra Benedicta.

Benedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Jacob. *Ibid.* 84. 2

Civitas Dei.

Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei. *Ibid.* 86. 3

Domus Sapientiæ.

Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. *Prov.* 9. 1

Vocatur Mulier fortis.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. *Ibid.* 31. 10

Dicitur tota pulcra.

Tota pulcra es amica mea, & macula non eſt in te. *Cant.* 4. 7

Mater pulcræ dilectionis.

Ego mater pulcræ dilectionis, & timoris & agnitionis, & ſanctæ ſpei. *Eccli.* 24. 24

Vocatur Virgo.

ECce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel (*nobiſcum Deus.*) *Iſai.* 7. 14

Vocatur virga Jeſſe.

Et egredietur Virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcenet. *Iſa.* 11. 1

Dicitur nubes.

Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem. *Iſa.* 19. 1

Dicitur Porta clauſa.

POrta hæc (*ſcilicet orientalis porta tabernaculi*) clauſa erit: non aperietur, & vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam. *Ezech.* 44. 2

Dicitur Mons.

Donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus. *Dan.* 2. 34

Maria vocatur, & eſt mater Domini Dei.

Et unde hoc mihi (*ait Eliſabeth*) ut veniat Mater Domini mei ad me? *Luc.* 1. 43

Mater Jeſu vocatur.

ECce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi: *Matt.* 2. 13

Stabant autem juxta Crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. *Joan.* 19. 25. Actor. 1. 14

Maria Virgo quibus rebus comparetur.

COmparatur vino & oleo effuſo, & ejus odori. Cant. 1. 1. Tabernaculis Cedar. v. 4. Soli, & viti. v. 5. Faſciculo myrrhæ. v. 12. Botro Cypri in vineis. v. 13

Flori campi & lilio convallis. Ibid. 2. 1. Malo inter ligna ſilvarum. v. 3. Cellæ vinariæ. v. 4. Columbæ in foraminibus petræ. v. 14

Virgulæ fumi ex aromatibus Myrrhæ, & Thuris, & univerſi pulveris pigmentarii. *Ibid. 3. 6. Filiis Sion & regi Salomoni* in die deſponſationis illius. Ibid. v. 11

Oculis columbarum, & capillis caprarum. Ibid. 4. 1. Fragmini mali punici. v. 3. Turri David. v. 4. Ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. v. 6. Lybano monti. Favo mellis diſtillanti, melli & lacti, & odori thuris. v. 8. Horto concluſo. v. 12. Fonti ſignato & Paradiſo malorum punicorum cum pomorum fructibus. v. 13. Fonti hortorum, puteo aquarum viventium. v. 15. Aquiloni & Auſtro. v. 16

Fructibus pomorum. Ibid. 5. 1. Comæ palmarum. v. 11. Columnis marmoreis. v. 15. Eburno & Sapphyris. v. 14

Cortici mali punici, reginis & adoleſcentulis. Ibid. 6. 6. Auroræ conſurgenti, Lunæ & Soli. v. 9. Horto nucum, & pomis convallium. v. 10

Comparatur Maria ſapientiæ in Eccleſiis Altiſſimi. Eccli. 24. 1. Plenitudini ſanctæ. v. 3. Multitudini electorum. v. 4. Ori Altiſſimi. v. 5. Lumini orienti in cælis, & nebulæ tegenti totam terram. v. 6. Columnæ nubis, Gyro cæli, profundo abyſſi. v. 8. Cedro Libani, & Cypreſſo montis Sion. v. 17. Roſæ in Jericho. v. 18. Olivæ ſpecioſæ in campis, & Platano juxta aquam in plateis. v. 19. Cinnamomo & Balſamo aromatizanti & odorem danti. v. 20. Myrrhæ electæ, Storaci & Galbano, ungulæ & guttæ v. 21 Per totum Caput.

Mariæ perpetua Virginitas ſignificatur.

APparuitque ei Dominus (*Moyſi*) in flamma ignis de medio Rubi: & videbat, quod Rubus arderet, & non combureretur. *Exod. 3. 2*

Ponam (*dixit Gedeon ad Dominum*) hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael. Factumque eſt ita. Et de nocte conſurgens, expreſſo vellere, concham rore implevit. Dixitque rurſus ad Deum: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero, ſignum quærens in vellere. Oro, ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa, ut poſtulaverat, & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra. *Judic. 6. 37*

In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. *Pſal. 18. 6*

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. *Ibid.* 2. 2

Tota pulcra es amica mea, & macula (*peccati*) non eſt in te. *Ibid. 4. 7.* Cap. *6. 9*

Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Iſa. 7. 14*

Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. *Ibid. 11. 1*

Lætabitur deſerta, & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: Gloria Libani data eſt ei: Decor Carmeli & Saron: ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. *Ibid. 35. 1*

Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit maſculum. Quis audivit umquam tale? & quis vidit huic ſimile. *Ibid. 66. 7*

Porta hæc (*dicit Dominus*) clauſa erit: non aperietur, & vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa principi. Princeps ipſe ſedebit in ea. *Ezech. 44. 2*

Hæc autem eo cogitante (*ſcilicet occulte dimittere eam*) ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. *Matth. 1. 20*

Et reſpondens Angelus dicit ei (*ſcilicet dicenti* quomodo fiet *iſtud, quoniam virum non cognoſco*) Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Luc. 1. 35*

Mariæ Virginis virtutes: ut quod fuerit fide dives.

GUſtavit, & vidit, quia bona eſt negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus. *Prov. 31. 18*

Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum Et diſceſſit ab illa Angelus. *Luc. 1. 38.* Et Beata quæ credidiſti (*ait Maria Eliſabeth*) quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino. Ibid. v. 45

Spe plena.

DIcit mater ejus (*Jeſu*) miniſtris (*menſæ in nuptiis in Cana Galilææ*) Quodcumque dixerit vobis, facite. *Joan. 2. 5*

Ego mater pulcræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. *Eccli. 24. 24*

Caritate perfecta.

MAnſit autem Maria cum illa (*Eliſabeth*) quaſi menſibus tribus: & reverſa eſt in domum ſuam. *Luc. 1. 56*

Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diverſorio. *Luc. 2. 7*

Et deficiente vino, dicit mater Jeſu ad eum: Vinum non habent, &c. *Joan. 2. 3*

Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophe, & Maria Magdalene. *Ibid. 19. 25*

Caſta erat, ut ſupra probatur in perpetua ejus virginitate. Caſtitatem noviſſe videtur.

ANgelus dixit ei *dicenti: quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Luc. 1. 35*

Humilis erat.

DIxit autem Maria (*ad Angelum*) Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus. *Luc.* 1. 38. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ib. v. 48.

Miſericors erat.

Et deficiente vino dixit mater Jeſu ad eum: Vinum non habent, &c. *Joan. 2. 3*

Erat prudens.

Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. *Luc. 2. 19*

Modeſta erat.

ET dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. *Luc. 2. 48*

Erat pia.

Magnificat anima mea Dominum: & exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. *Ib. 1. 47*

Erat benigna.

Et intravit in Domum Zachariæ: & ſalutavit Eliſabeth. *Ibid. 1. 40*

Erat fortis.

Mulierem fortem quis inveniet? &c. *Prov. 31. 10. Per totum Caput.* Joan. 19. 25

Erat ſapiens.

OS ſuum aperuit Sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. *Prov. 31. 26*

Dicit mater ejus miniſtris (*menſæ in nuptiis Canæ Galilææ*) Quodcumque dixerit vobis, facite. *Joan. 2. 5*

Erat pauper.

ET intrantes domum (*tres Magi*) invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. *Matt. 2. 11*

Impleti ſunt dies, ut pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & relinavit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diverſorio. *Luc. 2. 6. Vide & v. 24*

Patiens erat.

ET tuam ipſius animam pertranſibit gladius (*ſcilicet doloris*) ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. *Luc. 2. 35.* Matt. 2. 23

Virtute præcellens omnes erat.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. *Prov. 31. 29*

In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis. *Eccli. 24. 25*

Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (*ait Angelus ad Virginem*) *Luc. 1. 28.* Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ibid. v. 48.

Maria ſalutatur ab Angelo.

ANgelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. *Luc. 1. 28*

Viſitat Eliſabeth, & laudat Deum.

EXurgens autem Maria in diebus illis, abiit in Montana cum feſtinatione, in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. *Luc. 1. 39.* Magnificat anima mea Dominum &c. Ib. v. 47.

Proficiſcitur cum Joſeph in Bethlehem.

AScendit autem & Joſeph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod eſſet de domo & familia David. *Luc. 2. 4*

Proficiſcitur cum Joſeph in Ægyptum.

QUi conſurgens (*Joſeph*) accepit puerum & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum *Matt. 2. 14*

Revertitur inde in terram Iſrael.

ET erat ibi uſque ad obitum Herodis: ut adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem (*Oſeæ 11. 1.*) Ex Ægypto vocavi Filium meum. *Matt. 2. 15.*

Invenit Chriſtum in templo.

ET factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. *Luc. 2. 46*

Aſſiſtit Maria cruci, & Apoſtolo Joanni commendatur.

STabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. *Joan. 19. 25*

Manebat Maria cum Apoſtolis.

HI omnes (*ſcilicet Petrus, Joannes, Jacobus, & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomeus & Matthæus, &c.*) erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jeſu, & fratribus ejus. *Actor.* 1. 14

TITULUS X.

Maritus.

Mariti officium, & auctoritas in Uxorem.

MUlieri quoque dixit (*Deus*) Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. *Gen.* 3. 16

Dominus ait ad Moyſen: Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Vir cujus uxor erraverit, maritumque contemnens, dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiverit, ſed latet adulterium, & teſtibus argui non poteſt, quia non inventa in ſtupro, &c. Adducet eam ad ſacerdotem, &c. *Num.* 5. 12

Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & ſemel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento: quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, redderque quodcumque promiſerat, &c. *Ibid.* 30. 7. v. 13.

Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte feminea: abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc. *Deut.* 22. 5. v. 13

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum: & hauriet jucunditatem a Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & impius. *Prov.* 18. 22

Perfruere vita cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ, qui dati ſunt tibi ſub ſole omni tempore vanitatis tuæ: hæc eſt enim pars in vita & in labore tuo, quo laboras ſub ſole. *Ecclef.* 9. 9. *Vide* Prov. 5. 18

Mulier ſi eſt tibi ſecundum animam tuam, non projicias illam: & odibili non credas te. *Eccli.* 7. 28

Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. *Ib.* 9. 1

In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes. *Ibid.* 25. 1. Sicut aſcenſus arenoſus in pedibus veterani, ſic mulier linguata homini quieto. Ib. v. 27.

Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illorum duplex. *Ib.* 26. 1. Malach. 2. 14. 16

Paulus Corinthios inſtruit de matrimonio, ejuſque uſu & indiſſolubili vinculo, innuptis commendans cælibatum, & quomodo fidelis cum conjuge infideli ſe habere debeat, &c. 1. *Cor.* 7

Volo autem vos ſcire quod omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulieris vir. *Ibid.* 11. 3. v. 10

Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. *Epheſ.* 5. 22

Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino. Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas. *Coloſſ.* 3. 18. Tit. 2. 4

Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timorem caſtam converſationem veſtram. 1. *Petr.* 3. 1

Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio. 1. *Tim.* 2. 11. 1. Cor. 14. 34.

TITULUS XI.

Matrimonium.

Matrimonium inſtituitur propter procreationem & propagationem humani generis.

MAſculum & feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominemini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram. *Gen.* 1. 27

Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea, &c. *Ibid.* 2. 21. v. 22. 23. 24

Dixitque Adam (*Deo illum increpanti*) Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. *Ibid.* 3. 13. Adæ vero dixit (*Deus*): Quia audiſtis vocem uxoris tuæ, & comediſtis de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Ib. v. 17. *Vide & præcipue* v. 15

Adam vero cognovit uxorem ſuam Hevam: quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum. *Ibid.* 4. 1. & v. 17

Benedixitque Deus Noe & filiis ejus. Et dixit ad eos: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. *Ibid.* 9. 1. Cap. 8. 17

Egreſſus eſt poſt hæc vir (*Moyſes*) de domo Levi: & accepit uxorem ſtirpis ſuæ. Quæ concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem, abſcondit tribus menſibus. *Exod.* 2. 1.

Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur & mœchus & adultera. *Lev.* 20. 10

Non inibis cum eis (*Gentibus*) fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis conjugia, Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. *Deut.* 7. 2. Cap. 5. 27. Cap. 22. 29.

Et duxerunt uxores (*filii Iſrael*) filias eorum, ipſique (*Gentes*) Filias ſuas filiis eorum tradiderunt, & ſervierunt (*Iſraelitæ*) diis eorum. *Judic.* 3. 6. *Idem habetur* 1. Eſdr. 9. 2. *De quibus fit quoque mentio.* Lib. 2. Cap. 13. 23. Eſther 2. 17

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum: & hauriet jucunditatem a Domino. *Prov.* 18. 22. Jerem. 3. 1

Domus & divitiæ dantur a parentibus: a Domino autem proprie uxor prudens. *Ib.* 19. 14. Eccli. 25. 2

Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris. *Tob.* 6. 22

Prima nocte, quando introductus eſt Tobias junior cum uxore, hortatus eſt virginem dicens ei: Sara exurge, & deprecemur Deum hodie & cras, & ſecundum cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur: tertia autem tranſacta nocte in noſtro erimus conjugio. *Ib.* 8. 4

Et tunc Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſſa accipio ... meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum. *Ibid.* v. 9. Cap. 4. 13

Et quid unus quærit, niſi ſemen Dei? *Malac.* 2. 15

Ego autem (*ait Jeſus*) dico vobis: Quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. *Matt.* 5. 32. *Idem* Lucæ Cap. 16. 18

Non legiſtis, (*ait Jeſus Phariſæis tentantibus eum*) quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. *Ibid.* 19. 4. Cap. 22. 24. 30. *Idem* Marc. 10. 2. 6. 7. 8 *verbatim. Item* Marc. 6. 18. 12. 20

Et die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Jeſu ibi. *Joan.* 2. 1. Luc. 2. 5. 3. 19. 16. 18. 20. 34.

Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. *Rom.* 7. 2

Vivente viro vocatur adultera, ſi fuerit cum alique viro. 1. *Cor.* 7. *ſi autem mortuus fuerit vir* ejus, liberata eſt *a lege viri, ut* cui vult nubat, tantum in Domino. Ib. v. 39.

Propter hoc (*ſcilicet qui uxorem ſuam diligit, ſeipſum diligit*) relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Epheſ.* 5. 31

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13. 4

Propter peccati devitationem.

BOnum eſt homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro. 1. *Cor.* 7. 1. Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Ib. v. 5.

Melius eſt enim nubere, quam uri. *Ibid.* v. 9

Propter mutuam conſolationem.

DOmus, & divitiæ dantur a parentibus: a Domino autem proprie uxor prudens. *Prov.* 19. 14

Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam. *Eccli.* 7. 27

Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem: adjutorium ſecundum illum eſt, columna ut requies. *Ibid.* 36. 26

Ubi non eſt mulier, ingemiſcit egens. Quis credit ei, qui non habet nidum? & deflectens ubicumque obſcuraverit, quaſi ſuccinctus latro, exiliens de civitate in civitatem. *Ib.* v. 27

Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea. *Epheſ.* 5. 25

Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit ſeipſum diligit. *Ibid.* v. 28

Verumtamen & vos ſinguli, unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: uxor autem timeat virum ſuum. *Ibid.* v. 33

Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas. *Coloſſ.* 3. 19

Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem (*bonam*) ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram. Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſti-

mentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe ſubjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cujus eſtis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem. *1. Petr.* 3. 1.

Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri, impertientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes veſtræ. *Ibid.* v. 7.

Matrimonium eſt indiſſolubile.

QUam ob rem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. *Gen.* 2. 24

Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire. *Tob.* 4. 13

Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. *Matt.* 5. 32

Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. *Ibid.* 19. 7

Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. *Marc.* 10. 9

Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. *Marc.* 10. 11. *Idem* Luc. 16 18

Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. 1. *Cor.* 7. 10

Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit. *Ita & reciproce.* 1. *Cor.* 7. 39. *Vide* Rom. 7. 2.

Ad Matrimonium requiritur conſenſus.

VOcemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem. *Gen.* 24. 57

Et accepta charta fecerunt conſcriptionem conjugii. *Tob.* 7. 16

Matrimonium debemus caſte & debito modo ingredi & aggredi.

R*Ecenſentur gradus illiciti, ad gentium & Chananæorum opera fugienda, in varia carnali turpitudine. Levit. cap.* 18. *Vide Caput totum.*

Sara filia Raguelis, dicebat in oratione ſua ad Dominum: Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea, conſenſi ſuſcipere. *Tob.* 3. 18

Hi namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus - - - habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. *Ibid.* 6. 17

Accipies Virginem (*in uxorem*) cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus. *Ibid.* v. 22

Prima nocte, quando introductus eſt Tobias junior cum uxore, hortatus eſt virginem - - - dixitque ei: Sara, exurge & deprecemur Deum hodie & cras, & ſecundum cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur: tertia autem tranſacta nocte, in noſtro erimus conjugio. *Ibid.* 8. 4

Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſſa accipio - - - conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione &c. *Ibid.* v. 9

Matrimonium eſt Sacramentum. Vide Titulum Sacramenta Novæ legis.

Matrimonium cujus rei Sacramentum.

Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Epheſ.* 5. 32

Confert gratiam & ſanctificationem.

HÆc eſt enim voluntas Dei, Sanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos a fornicatione. ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, &c. *Theſſ.* 4. 3

Matrimonium ſpirituale. Vide & Titulum Connubium ſpirituale.

Matrimonium ſpirituale virtuoſe inchoatur.

ET ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in juſtitia, & in judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus. *Oſea* 2. 19

Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filios ſuo. *Matt.* 22. 2

Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. *Joan.* 3. 29

Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. 2. *Cor.* 11. 2

Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Epheſ.* 5. 32

Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. *Apoc.* 19. 9

Et ego Joannes vidi ſanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cælo, a Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. *Apoc.* 21. 2

Copioſe remunerator.

LEva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa. *Iſa.* 49. 18

Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. *Ibid.* 61. 10

Tunc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes &c. *Matt.* 25. 1

Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei (*Deo*): quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe. Et datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. Byſſinum enim juſtificationes ſunt Sanctorum. *Apoc.* 19. 7

TITULUS XII.

Mediator.

Mediator redemptionis ſolus Chriſtus.

UNus enim Deus, & unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. 1. *Tim.* 2. 5

Chriſtus melioris Teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. *Hebr.* 8. 6. Cap. 12. 24

Et ideo novi teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hereditatis. *Ibid.* 9. 15

Non enim in manufacta Sancta Jeſus introivit, exemplaria verorum: ſed in ipſum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. *Ibid.* v. 24

Mediator interceſſionis Chriſtus.

CHriſtus Jeſus, qui mortuus eſt: immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8. 34

Filioli mei, hæc ſcribo vobis ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habémus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum. 1. *Joan.* 2. 1

Mediator Spiritus Sanctus.

NAm quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26

Mediator Angelus.

SI fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, aut annuntiet hominis æquitatem: miſerebitur ejus, & dicet: Libera eum, ut non deſcendat in corruptionem. Inveni, in quo ei propitier. *Job* 33. 23

Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum, uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es? - - - Et reſpondit Dominus Angelo: qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria. *Zach.* 1. 12

Mediator Homo. Vide & Titulum Sancti.

JOb autem ſervus meus, (*ait Dominus amicis Job*), orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia. *Job* 42. 8

Erat autem hujuſcemodi viſus: Oniam, qui fuerat ſummus ſacerdos, virum bonum & benignum, verecundum viſu, modeſtum moribus, & eloquio decorum, & qui a puero in virtutibus exercitatus ſit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. Poſt hoc apparuiſse & alium virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: reſpondentem vero Oniam, dixiſſe: Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt, qui multum orat pro populo & univerſa ſancta civitate, Jeremias Propheta Dei. 2. *Mach.* 15. 12

Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum. *Rom.* 15. 30

TITULUS XIII.

Medicus & Medicina.

Medicus ſpiritualis.

SPiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me. Ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde. *Iſa.* 61. 1. Luc. 4. 18

Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. *Matt.* 9. 12

Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura teipſum. *Luc.* 4. 23

Non egent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui male habent. *Ibid.* 5. 31

Homo quidam deſcendebat, &c. *Ibid.* 10. 30

Medicus corporalis. Vide & Infirmitas.

LAnguor prolixior gravat medicum. Brevem languorem præcidit medicus. *Eccli.* 10. 11

Honora medicum propter neceſſitatem: etenim illum creavit Altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela. *Ibid.* 38. 1

Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur. Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. --- Ad agnitionem hominum virtus illorum --- In his curans mitigabit dolorem. *Ibid.* v. 3

Medicina.

Ante languorem adhibe medicinam. *Eccli.* 18. 20

Meditatio. Vide Contemplatio.

TITULUS XIV.

Mendacium.

DIxit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. *Hoc eſt primum mendacium. Gen.* 3. 4. *Vide* Joan. 8. 44

Negavit Sara dicens, Non riſi: timore perterrita. *Ibid.* 18. 15

Vide tibi mendacium uxoris Putipharis. Ibid. 39. 17

Mendacium obſtetricum habuit remunerationem ſuam temporalem, non tamen æternam, licet fuerit mendacium valde compaſſivum. Exod. 1. 17. *&c.*

Moleſtiis Pharao voluit decipere Moyſen per mendacia, Sed tamen illi non profuit, nec unges &c. Ibid. 9. *&* 10

Non ſuſcipies vocem mendacii: nec --- dicas falſum teſtimonium. *Ibid.* 23. 1

Mendacium fugies. *Ibid.* v. 7. *Vide* Deut. 19. 18

Nen mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum. *Lev.* 19. 11

Sedens & flens *dixit populus in deſerto*: Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis &c. *Num.* 11. 5

Gabaonitæ ſimulatione longi itineris callide voluerunt mendaciter decipere Joſue & principes Iſraelitarum, & interpoſito quidem juramento ſalvantur, inſecuto tamen murmure perpetuo famulitio adſtringuntur. Joſue 9.

Numquam licet mendacium dicere, ſed veritatem licet & expedit quandoque tacere, ſicut fecit Samuel, dicens: ad immolandum Domino veni. *Ad aliud enim facere principaliter venerat & nihilominus hoc facere proponebat.* 1. Reg. 16. 3. *&* 5.

David occiſo nuntio, qui ſe Saulem occidiſſe dicebat, ſciſſis veſtibus deflet eum cum ceteris occiſis, jejunans uſque ad veſperam ac ſuper eos plangens, & planctum filiis Iſrael præcipiens. 2. *Reg.* 1. 4. *Reg.* 5. 25.

Occiſo unico de filiis David, fama pervenit ad ipſum David: Percuſſit Abſalon omnes filios regis. *Sic faciunt homines ſæpius nuntiando rumores.* 2. *Reg.* 13. 30

Officioſe mentitus eſt Chuſai Abſalon, dicens: Sicut parui patri tuo, ita parebo tibi. *Ibid.* 16. 19

Naboth, ob negatam regi Achab vineam, a falſis teſtibus juſſu Jezabel accuſatus lapidatur. 3. *Reg.* 21

Spiritus mendax in ore multorum Prophetarum decipit Achab, ut iret ad pugnam, & percuſſus fuit. Ib. 22. 23

Giezi propter munera mendacio extorta, ab Eliſeo ſpreta, lepra punitur. 4. *Reg.* 5. 25

Peſſimum mendacium adinvenit Aman, ut poſſet confundere Mardocheum, ſe adorare nolentem. Eſth. 3. 8.

Proferentem mendacia teſtem fallacem (*odit Dominus.*) *Prov.* 6. 19

Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos. *Ibid.* 10. 4

Abominatio eſt Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. *Ibid.* 12. 22

Verbum mendax juſtus deteſtabitur. *Ibid.* 13. 5. *Vide &* Cap. 17. 4. Et fallax obtemperat labiis mendacibus.

Teſtis fidelis non mentitur, profert autem mendacium doloſus teſtis. *Ibid.* 14. 5. *Vide & Verſum* 25.

Qui mendacia loquitur, non effugiet: ſed peribit. *Prov.* 19. 5. v. 9.

Suavis eſt homini panis mendacii: & poſtea implebitur os ejus calculo. *Ib.* 20. 17. Cap. 23. 3

Qui congregat theſauros lingua mendacii, vanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis. *Ibid.* 21. 6

Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios. *Ib.* 29. 12

Vanitatem & verba mendacia longe fac a me (*Domine*). *Ibid.* 30. 8

Cuſtodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodeſt, & a detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam. *Sap.* 1. 11

Noli arare mendacium adverſus fratrem tuum: neque in amicum ſimiliter facias. *Eccli.* 7. 13

Noli velle mentiri mendacium: aſſiduitas enim illius non eſt bona. *Ibid.* 7. 14. *Vide &* Cap. 41. 21

Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indiſciplinatorum aſſidue erit. Mores hominum mendacium ſine honore: & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione. *Eccli.* 20. 28

Tres ſpecies odivit anima mea ... pauperem ſuperbum: divitem mendacem: ſenem fatuum & inſenſatum. *Ibid.* 25. 4

Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit, &c. *Oſee* 4. 2

Vos (*Phariſæi*) ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus. *Joan.* 8. 44

Ananias, & uxor ſua Saphira agro divendito pretii partem ſibi ſervant, quod tamen interrogante Petro, factum eſſe negant, quam ob cauſſam ad verbum Petri, uxor poſt maritum ſubita morte percutitur. Actor. 5

Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra. *Epheſ.* 4. 25. 1. Petr. 2. 1

Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, &c. *Coloſſ.* 3. 9

Non intrabit in eam (*Jeruſalem cæleſtem*) ... abominationem faciens, & mendacium. *Apoc.* 21. 27

Nam foris eſt omnis qui amat, & facit mendacium. *Ibid.* 22. 15

TITULUS XV.

Menſura.

Menſura, quam menſi fueritis, remetietur vobis.

SIn autem mors ejus fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima. *Exod.* 21. 23

Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges amputatis manuum & pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci (*ſcilicet eis*) ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum (*Judas & Simeon*) in Jeruſalem, & ibi mortuus eſt. *Judic.* 1. 7

Et ait Samuel: Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, (*loquitur Samuel ad Agag*) ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua: & in fruſtra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. 1. *Reg.* 15. 33

Et reſtituet mihi (*ait David*) Dominus ſecundum juſtitiam meam: & ſecundum munditiam manuum mearum in conſpectu oculorum ſuorum. 2. *Reg.* 22. 25

Et retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. *Pſal.* 17. 21

Non facias violentiam pauperi quia pauper eſt: neque conteras egenum in porta: quia judicabit Dominus cauſſam ejus, & configet eos, qui confixerunt animam ejus. *Proverb.* 22. 22

Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cum conſummaveris deprædationem deprædaberis: cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris. *Iſa.* 33. 1.

Ecce ſcriptum eſt coram me: non tacebo, ſed reddam, & retribuam in ſinum eorum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul, dicit Dominus. *Ibid.* 65. 6 & 66. 4

Clamate adverſus eam (*Babylonem ait Jeremias*) ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta ejus, deſtructi ſunt muri ejus, quoniam ultio Domini eſt: ultionem accipite de ea, ſicut fecit, facite ei. *Jerem.* 50. 15. Reddite ei (*Babyloni*) ſecundum opus ſuum, & juxta omnia quæ fecit, facite illi: quia contra Dominum erecta eſt, adverſum ſanctum Iſrael. Ib. 29.

Et quomodo fecit Babylon, ut caderent occiſi in Iſrael: ſic de Babylone cadent in univerſa terra. *Ibid.* 51. 49

Quia hæc dicit Dominus Deus: Et faciam tibi, ſicut deſpexiſti juramentum, ut irritum faceres pactum. *Ezech.* 16. 59

Ecce ego ſuſcitabo eos de loco, in quo vendidiſtis eos: (*minatur Deus gentibus afflictionem, quæ afflixerunt populum ſuum*) & convertam retributionem veſtram in caput veſtrum. Et vendam filios veſtros & filias veſtras in manibus filiorum Juda &c. *Joel.* 3. 7

In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. *Matt.* 7. 2

Et dicebat illis (*Jeſus*): Videte quid audiatis: In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis. *Marc.* 4. 24

Date & dabitur vobis: menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura qua menſi fueritis remetietur vobis. *Luc.* 6. 38

Menſura & pondera debent eſſe juſta.

NOlite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura. Statera juſta, & æqua ſint pondera, juſtus modius, æquuſque ſextarius. *Lev.* 19. 35

Non habebis in ſæculo diverſa pondera, majus & minus, nec erit in domo tua modius major & minor. *Deut.* 25. 13

Statera juſta, & Ephi juſtum, & batus juſtus erit vobis, &c. *Ezech.* 45. 10

Numquid juſtificabo ſtateram impiam, & ſaccelli pondera doloſa? *Mich.* 6. 11. Amos 8. 5

Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum: & pondus æquum, voluntas ejus. *Prov.* 11. 1 Cap. 20. 10. & 23

Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt: & opera ejus omnes lapides ſacculi. *Ibid.* 16. 11

Pondus, & pondus, menſura & menſura: utrumque abominabile eſt apud Deum. *Ib.* 20. 10. *Vide &* v. 23

TITULUS XVI.

Merces & Mercenarius.

Mercenarius remunerandus.

NOn morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane. *Lev.* 19. 13

Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui &c. ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum: Sed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat anmimam ſuam. *Deut.* 24. 14

Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. *Tob.* 4. 15

Dignus eſt enim operarius mercede ſua. *Luc.* 10. 7. Matt. 10. 10

Ei autem qui operatur, merces non imputatur, ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. *Rom.* 4. 4.

Non defraudandus.

QUi aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum. Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt. *Eccli.* 34. 25

Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. *Jacob.* 5. 4

Merces operariorum. Vide Labor.

Merces debetur operibus bonis. Vide & Opera bona &c.

NOnne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in ſordibus (*ſuis*) peccatum aderit? *Gen.* 4. 7

Factus eſt ſermo Domini ad Abraham, per viſionem dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. *Ibid.* 15. 1

Deus reddit unicuique ſecundum opera ſua. *Pſal.* 61. 13. Matt. 16. 27. Rom. 2. 6

Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Pſalm.* 118. 112

Impius facit opus inſtabile: ſeminanti autem juſtitiam, merces fidelis. *Prov.* 11. 18

Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum. *Sap.* 5. 16

Et reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum per noctem. *Ibid.* 10. 17

Qui timetis Dominum, credite illi: & non evacuabitur merces veſtra, &c. *Eccl.* 2. 8

Benedictio Dei in mercedem juſti feſtinat, & in hora veloci proceſſus illius fructificat. *Ib.* 11. 24

Non impediaris orare ſemper, & ne verearis uſque ad mortem juſtificari: quoniam merces Dei manet in æternum. *Ibid.* 18. 22

Da mercedem ſuſtinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur: & exaudi orationes ſervorum tuorum, &c. *Ibid.* 36. 18

Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam: & in ipſa laudabo eum. *Ib.* 51. 30. Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem veſtram in tempore ſuo. Ib. v. 38.

Dicite juſto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei. *Iſa.* 3. 10

Hæc dicit Dominus: Quieſcat vox tua (*Iſrael*) a ploratu, & oculi tui a lacrimis: quia eſt merces operi tuo, ait Dominus: & revertentur de terra inimici. *Jerem.* 31. 16

Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis: ſic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. *Matt.* 5. 12

Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. *Ibid.* 6. 1

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. *Ib.* 10. 41

Cum

Cum ſero autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a noviſſimis uſque ad primos. *Matth.* 20. 8

Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. *Marc.* 9. 40

Verumtamen diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date; nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos. *Luc.* 6. 35

In eadem autem domo manete: edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua. Nolite tranſire de domo in domum. *Ib.* 10. 7

Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit, &c. *Joan.* 4. 36

Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. *Rom.* 4. 4

Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. 1. *Cor.* 3. 8. Galat. 6. 5.

Dicit enim Scriptura (*Deut.* 25. 4.) Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus eſt operarius mercede ſua. 1. *Tim.* 5. 18. 1. Cor. 9. 9

Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua. *Apoc.* 22. 12

TITULUS XVII.

Meſſias.

Meſſias, id eſt Chriſtus, & verus unctus eſt Dominus noſter Jeſus.

INvenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Invenimus Meſſiam, (quod eſt interpretatum Chriſtus.) *Joan.* 1. 41

Dicit ei mulier: Scio quia Meſſias venit, (qui dicitur Chriſtus): cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. *Ibid.* 4. 25

Alii dicebant: Hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa venit Chriſtus? *Ibid.* 7. 41

Ait illis: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti. *Ibid.* 11. 27

Dicit illi (*Caiphæ*) Jeſus: Tu dixiſti; verumtamen dico vobis: amodo videbitis Filium hominis, ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. *Matth.* 26. 64

Jeſus autem dixit illi: (*Caiphæ*) Ego ſum, &c. *Marc.* 14. 62. Luc. 21. 27

Si tu es Chriſtus, dic nobis (*Judæis*). Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi. *Luc.* 22. 66

Tria diſſerebat eis *Paulus* (*Judæis*) de Scripturis. Adaperiens & inſinuans quia Chriſtum oportuit pati, & reſurgere a mortuis: & quia hic eſt Jeſus Chriſtus, quem ego annuntio vobis. *Actor.* 17. 2

Vehementer enim Judæos revincebat publice, oſtendens per Scripturas, eſſe Chriſtum Jeſum. *Ibid.* 18. 28. Cap. 19. 4

Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo. 1. *Joan.* 5. 1

TITULUS XVIII.

Miniſter & Miniſterium.

Miniſtrorum etiam malorum opera dignatur uti Dei bonitas.

MUlti dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus: & in nomine tuo virtutes multas fecimus? *Matt.* 7. 22

Reſpondit illi Joannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum, &c. *Marc.* 9. 37. *Idem* Luc. 9. 49

Quos etiam jubet audire.

SUper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. *Matt.* 23. 2

Miniſterium Dei.

IN omni virtute tua dilige eum, qui te fecit: & miniſtros ejus ne derelinquas. *Eccli.* 7. 32

Millia millium miniſtrabant ei &c. *Dan.* 7. 10. Apoc. 5. 11

Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. *Matt.* 4. 11

Si quis miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26

Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. 1. *Cor.* 4. 1

Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros. 2. *Cor.* 6. 4

Mini-

Miniſterium humanum ordinatum.

AMbulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. *Pſal.* 100. 5

Acceptus eſt regi miniſter intelligens: iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit. *Prov.* 14. 35

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem. *Ibid.* 22. 11

Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus. *Eccli.* 10. 2. Prov. 29. 12

TITULUS XIX.

Miracula.

TEmpore diluvii miraculoſe ſalvavit Dominus Noe cum uxore & tribus filiis ſuis, & uxoribus eorum, tum etiam de cunctis animalibus maſculum & feminam fecit ſervari per arcam. Gen. 7

Præſumptionem hominum, turrim uſque ad cælum ædificare volentium, miraculoſe repreſſit Dominus confundendo linguas eorum. Ibid. 11

Vide ibidem, quam multa fecerit Dominus miracula per Moyſen, dum eduxit filios Iſrael de Ægypto. Exod. 7. 8. 9. 10

Grande miraculum fuit, quod numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem populo exeunti de Ægypto ad terram promiſſionis. Ibid. 13. 21. & 22

Memorandum & terribile miraculum fuit in diviſione & exſiccatione maris rubri, quando tranſierunt filii Iſrael ſicco pede, Ægyptii vero in mediis fluctibus obvoluti. Ibid. 14.

Per lignum Moyſi oſtenſum miraculoſe dulcoratæ ſunt aquæ. Ibid. 15. 25

Murmurantibus in Sin pro cibo Iſraelitis pluit Dominus coturnices & Manna ad ſaturitatem. Ibid. 16. *Vide &* Num. 11

Rurſum murmurantibus pro aqua filiis Iſrael, dat Dominus aquam de petra, & in monte Moyſe extenſis manibus orante, vincunt ipſi Amalecitas. Ibid. 17

Occaſione ſeditionis Core & complicum ſuorum, multa miracula contigerunt, dum eos vivos terra abſorbet, & ignis interficit 250. *viros offerentes incenſum, & alios* 14700. *murmurantes conſumpſit incendium, quod oratione ſua Aaron compeſcuit. Num.* 16

Sumptis 12. *Virgis a duodecim tribuum Principibus ſola Aaronis virga floruit: ac fructum produxit. Hoc miraculo & indicio ſacerdotium illi a Deo confirmatur, ſervataque eſt in tabernaculo teſtimonii. Ibid.* v. 17

Percuſſi filii Iſrael a ſerpentibus ignitis, & aſpicientes ſerpentem æneum curabantur. Ibid. 21. 8

Veniens Balaam ad maledicendum populo Dei, redargutus fuit ab Aſina, cui inſidebat. Ibid. 22. 13.

Adduxit (*Dominus filios Iſrael*) quadraginta annis per deſertum: non ſunt attrita veſtimenta nec calceamenta --- vetuſtate conſumpta ſunt. *Deut.* 29. 5

Ingreſſis filiis Iſrael fluvium Jordanis intumeſcebant aquæ ſuperiores ad inſtar montis, inferiores in mare mortuum deſcenderunt. Joſue 3. *Vide totum Caput, quam fecerit Dominus mirabilia.* v. 5.

Poſt varios ſeptem dierum circuitus cum arca muri Jericho corruerunt. Ibid. 6

Quinque reges oppugnantes urbem Gabaon immoto ſole unius diei ſpatio vincuntur. Ibid. 10

Per arcam Domini a Philiſthæis captam, multa fuerunt facta miracula. 1. *Reg.* 5

Factum eſt miraculum in Caſtris Philiſthæorum, dum Jonathas & armiger ejus tot de ipſis percuſſerunt, adeo ut omnis populus obſtupuerit, & conturbata eſt terra, & accidit quaſi miraculum a Deo. *Ibid.* 14. 15. *Vide totum contextum. Item de Davide qui juvenis inexpertus, inermis, prævaluit adverſus Philiſthæum armatum Goliath.* 1. Reg. Cap. 17

Elias cælum triennio claudit, primumque paſcitur a corvis, deinde a muliere Sareptana, cujus hydria farinæ, & lecythus olei minuuntur, cujus etiam filius mortuus oratione Eliæ reſuſcitatur. 3. *Reg.* 17

Elias ignem, holocauſtum mirabiliter conſumantem, a Domino precibus impetrat. Ibid. 18. 37. *Demum poſt orationem ejus* facta eſt pluvia grandis. *Ibid.* v. 45.

Dehinc Angelus Domini panem & aquam Eliæ oſtendit, quem panem divinitus miſſum edit, aquamque bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb. *Ibid.* 19. 5

Vaticinantur Elias de Jezabel, quod impletur conf. Ibid. 21. 23. 4. Reg. 9. 36

Duos quinquagenarios Principes & quinquaginta viros qui erant ſub eis, Eliæ virtute & Zelo, cæleſtis devorat ignis, tertio principe ſua modeſtia ſervato cum quo juſſu Angeli Elias deſcendit. 4. *Reg.* 1. 9

Tandem diviſit Elias pallio ſuo aquas Jordanis, ut ipſe & Eliſeus tranſire poſſet. Elia autem in cælum igneo curru rapto, Eliſeus duplicem ejus ſpiritum accipit, ac pallio Eliæ rurſum Jordanis aquas dividit, ac per ſiccum tranſit. Ibid. 2. 8. *Aquæ Jericho ac terræ ſterilitas immiſſo per Eliſæum ſale ſanantur, puerique illum irridentes quadraginta duo ab urſis lacerantur.* Ibid. v. 19

Dixit Eliſeus. Facite alveum torrentis hujus foſſas & foſſas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam: & alveus iſte replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ veſtræ, & jumenta veſtra &c. *Ibid.* 3. 16

Eliſeus viduæ debitis oppreſſæ oleum augmentat, quo ſolvat creditoribus. Porro Sunamitidi hoſpiti ſuo filium

filium a Deo impetrat, quem poſtea mortuum ſuſcitat. Farina quoque pulmento infuſa, amara olera dul-
coravit, & paucis panibus multos ſatiat, ita ut ſupereſſet. 4. *Reg.* 4
Naaman Syrum Eliſeus ſeptena in Jordane lotione mundat a lepra. Ibid. 5. 10. *Abſens tamquam*
præſens malitiam ſervi ſui cognovit, cui propter munera mendacio extorta, ab Eliſæo ſpreta, lepra per-
petuo adhæſit. Ibid. v. 26
Eliſeus ferrum ſecuris natare ſuper aquas facit, poſtea regis Syriæ milites ab ipſo quaſi excæcati in
Samariam ducuntur, & ſervo currus igneos &c. in auxilium ſui monſtrat. Ibid. 6. *& tandem Eli-*
ſeus abſcondita & abſentia iterum clara & præſentia cognoſcit. v. 32
Eliſeus in Samaria prædicit fore frumenti abundantiam, quam leproſi quatuor annuntiant, territis mi-
raculoſe Syris a Deo ac omnibus relictis obſidionem ſolventibus. Dux autem quidam Eliſei verbo incre-
dulus, a turba conculcatur in porta Samariæ, uti itidem Eliſeus prædixerat. Ibid. 7
Poſt ſeptennem famem, ab Eliſeo prædictam Sunamitis, quæ ipſius conſilio peregrinata erat, reverſa,
ſuos agros cum fructibus recuperat. Eliſeus Benadad ægrotantem prædixit moriturum, & impium Haſael
regnaturum. Ibid. 8
Joas juxta Eliſei morientis vaticinium Syros ter devicit, in mortui autem Eliſei ſepulcrum injectus,
mortuus quidam tangens oſſa Eliſei reſuſcitatur. Ibid. 13. 14
Percuſſit Angelus Domini in una nocte centum octoginta quinque millia Aſſyriorum. Ibid. 19. 35
Mirabile fuit valde, quando ad petitionem Ezechiæ ſol retroceſſit per decem lineas in orologio Achaz.
Ibid. 20. 11
Congregati ſunt contra Joſaphat filii Ammon & Moab, & de monte Seir, ſed prædicato jejunio dum
rex cum populo ſupplex ad Deum confugeret, adverſarii in ſemetipſos verſi, mutuis concidere vulneri-
bus. 2. *Paral.* 20. 25
Tobias quatuor annis fuit cæcus, ſed deinde juxta conſilium Angeli, filio patris oculos felle piſcis li-
niente, recepit viſum. Tob. 11. 13
Memorandum fuit miraculum de tribus ſociis Danielis de fornace ignis tam magnifice liberatis. Dan. 3
Daniel cum leonibus ſeptem diebus remanſit illæſus, & mirabiliter cibatus eſt a Propheta Habacuc.
Ibid. 14. 40
Occaſione Jonæ mare fuit commotum, quo projecto piſcis eum glutivit, & per triduum in piſce vixit,
& poſtea ſanum evomuit piſcis. Jonæ c. 1. & 2
Expertus eſt Heliodorus divinam virtutem quando ſpoliare templum voluerat, fuitque a duobus juve-
nibus graviſſime verberatus. 2. *Mach.* 3. 25
Angelus Domini apparuit Zachariæ, nuntians ei ex parte Dei, quod uxor ejus Eliſabeth ſterilis & anus
paritura ſit filium: qui incredulus ad verbum Angeli mutus effectus eſt uſque ad circumciſionem pueri,
& tunc loquela reſtituta eſt ei. Luc. 1
Mirum, dulce, & pium valde fuit, quando ad ſalutationem Beatæ Mariæ, quæ noviter conceperat
ſalvatorem, Joannes in utero matris exultavit, &c. Exod. c. v. 41
Nullum eſt dubium, quin & ſtella iſta fuerit miraculoſa, qua duce Magi Hieroſolymam pervenerunt.
Matth. 2. 1

Miracula Chriſti.

QUod attinet ad miracula Chriſti, quæ Salvator noſter cum hominibus converſatus, dignatus eſt operari,
quantum ex Evangelica Hiſtoria colligitur, vocatus ad nuptias Salvator Jeſus Chriſtus initio ſi-
gnorum aquam in vinum vertit. Joan. 2. Miracula Chriſti.
Porro tres ſuſcitavit a mortuis, nempe filiam Archi-Synagogi. Matth. 9. 26. *Marc.* 5. 36. *Luc.* 8.
49. *filium viduæ extra portam civitatis delatum, Luc.* 7. 11. *& demum Lazarum Joan.* 11. *Vide to-*
tum Caput miraculoſum.
Poſtea ſex cæcos legitur illuminaſſe. De duobus conjunctim. Matth. 9. 27. *itidem de duobus ſimul*
legitur. Matth. 20. 30. *de uno cæco Marci* 8. 22. *tandem de cæco nato Joannis Cap.* 9. *per totum.*
Dæmoniacos ſeptem liberavit: duos apud Matthæum Cap. 8. 28. *confer Luc. c.* 8. 30. *ubi extat*
quod unus ex illis multa dæmonia habuerit, quia nomen dabat Diabolus legio. Unum alium, qui erat
cæcus & mutus, Matthæi 12. 22. *Lunaticum unum, qui non poterat liberari niſi jejunio & oratione.*
Matth. 17. 14. *Marc.* 9. 16. *Luc.* 9. 38. *alium de ſpiritu immundo, qui erat e Synagoga Judæorum*
ejectus Marc. 1. 23. *Luc.* 4. 33. *porro filium mulieris Cananææ ad inſtantiam matris. Matth* 15. 22.
Marc. 7. 24. *tandem Mariam liberavit a ſeptem ſpiritibus immundis, Luc.* 8. 2. *Mar.* 16. 9.
Porro circuibat Jeſus, obtuleruntque ei omnes male habentes & curavit eos, & liberavit a ſpiriti-
bus malignis. Matth. 4. 23. 24. *Marc.* 1. 34. *Luc.* 8. 2
Non parvum quoque fuit Chriſti miraculum, quando illi de Nazareth ita repleti duxerunt eum ad
ſupercilium montis, ut præcipitarent eum: ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.
Luc. 4. 29
Cum Socrus Simonis teneretur magnis febribus, imperavit Jeſus febri, & continuo ſurgens miniſtrabat
eis. Marc. 1. 30. *& Luc.* 4. 38. *Sic Chriſtus porro Paralyticum per tegulas & tectum demiſſum ſa-*
navit Marc. 2. 3. *Matth.* 9. 1. *Luc.* 5. 18. *Hydropicum quoque dum Sabbato in domo Phariſæi come-*
deret, incurvatamque mulierem, nec ſurſum reſpicere valentem, erexit. Luc. 13. 11. *Cap.* 14. 1. *&c.*
Homi-